

APOLOGIA INNOCENTIAE ET INTEGRITATIS R. L.

SACRÆ THEOLOGIÆ BAC-
calaurei adversus iniquissimas
E. Osb. transfugæ sacrifi-
culi calumnias ad Acade-
micos Oxonienses.

Richardus Feloes sac: the: Doctor 1594

OXONIÆ,
Excudebat IOSEPHVS BARNESIVS.
M. D. XCIIII.

APOLOGIA INNOCENTIÆ *& integritatis R. L. sacræ Theologiæ Baccalaurei adversus iniquissimas E. Osb. transfugæ sacrificuli calumnias ad Academicos Oxonienses.*



NVlla mihi antehac (viri ornatissimi florentissimiq; Academici) aliquid scribē-di vel in publicum emittendi, in mentem subiit cogitatio: præsertim, quòd observarem eximios Theologos, viros omni literarum genere vndiquaq; instructissimos, qui ad Christi ecclesiæ ædificationem, huic studio impensè operam navarunt, vel adversariorum acerbitate, invidorum livore, vel Zoilorum sannis, pro gloria dedecus, pro mercede iniustas reprehensiones, pro veritate odium in hac submorosa, atq; infœlici nostra ætate reportaturos. Omni namq; tēpore calamum sequitur calumnia, sicut corpus vmbra: Nunc tamen infinitis adversariorum iniuriis iniq; lacessitus, hæc prouincia onusq; necessario est mihi subeunda: & veritatis armis instructus, causæque bonitate, & solito vestro candore fretus, lubentiùs in hanc arenam descendo: militis e-

nim nomine admodum indignus est, qui pro regis sui honore, regniq; eius incolumitate pro virili parte nō decertet. Causa quam defendo Christi est: nam regnum eius quotidie ab impostoribus, Pseudoprophetis, falsis fratribus, hæresiarchis, Antichristi membris, & Satanæ ministris oppugnatur, sed nunquam erit expugnatum: nam portæ infernales adversus eius ecclesiam non prævalebunt. De multiplici Papistarum adversariorum nostrorum collusione & dolosa praxi, (vt cæteros veritatis hostes taceam) quibus ad veritatem oppugnandam illi nefariè vtuntur, nihil hoc in loco mihi dicendum est: nam infinitā huius rei materiam nobis in dies præbet lamentabilis experientia. Extant eorum seditiosi libelli, impudentissima dicteria omnibus mendaciorum generibus refertissima, amentata atq; virulenta eorum scripta quibus testantur se jamdiu omnemq; frontem amisisse, omnē fidem exuisse, omnem veritatē cane & angue (vt est in prouerbio) peius odisse, omnia mendacia & aniles fabulas re & animo amplexos esse. Vbi quæso habitant Papistæ isti adversarii nostri? quid moliuntur? quid student? nisi vt homines Christiani, viri religiosi, omnesq; sinceri euangelii professores, aut e medio funditus tollātur, aut iniuriis afficiantur, probris lacerentur, & omnibus indignitatibus divexentur. Hic Satanę & ministrorum

Mat. 16.

strorum eius antiquus fuit mos, eos convitiis onerare, quos veritate vincere aut exæquare nō potuerint. Ex omnibus *Pontificis Romani* assentatoribus, prodiit quidā egregius satrapas, nomine *Iohannes Aquæpontanus*, natione *Anglus*, religione *Romanus*, qui omnes *Romanistas* scribēdi acerbitate, & mētiendi licētia facile exuperauit. Homo ille audax atq; impudens, nostram religionē, regiam maiestatem, consiliarios regios, iudices honorabiles, prędicatores verbi, vniuersos ecclesiæ ministros, omnemq; statum publicum, sine reverentia, sine honore, sine iudicio, & sine vllo argumento audacter insectatur. Et ex adverso suorum scelerata facinora, impias coniurationes, clandestina colloquia, periuria, & truculentissimos mores summis elogiis decantat: eo tandem delabitur iste calumniator, vt non sit veritus affirmare 14. illos insignes ꝓditores, qui ob crimen læsę maiestatis *Londini* sunt decollati, extremam martyrii palmā obtinuisse. Hic exulum *Anglorū*, qui in exteris partibus propter catholicę fidei confessionē degunt (vt illi aiunt) difficultates, catholicorū constantiā, martyrum tormenta, & lapsorum palinodias in suo illo blasphemo martyrologio recensuit. Qui liber tandem amici mei cuiusdā beneficio, circa Nouembris Calendas mihi in manus incidit, quem legens in quandam *Eduardi Osberni* presbiteri palinodiam

Auctor martyrologij papistici.

Babingtonus cum socijs suis.

Palinodia Osberni.

diam incidi. Hęc palinodia fuerat primò *Anglicanis* literis, vt videtur, conscripta circa tempus abitus sui ex *Anglia*, post recantationem, & Papismi abrenunciationem, ab eo semel factam, & hanc secum *Rhemos* asportauit, vbi vel à seipso vel ab auctore supradicti libri, vel ab alio quopiam in latinum sermonem translata, atq; in meliorem formam fuit redacta. Sed antequam de absurditate huius palinodiæ aliquid dixero, de *Osberno* huius auctore, & de instituti mei ratione, nonnihil est mihi differendum. *Osbernus* ille quocùm hoc tempore mihi agendum est, fuit non ex vulgaribus sed ex pręcipuis parentibus natus, amplissimoq; stemmate ortus, & in teneris annis in bona literatura parentum sumptibus educatus. Et postquam in ludis trivialibus domi Grāmatices rudimenta calluisset, florentissimam Academiam *Cantabrigiensem* adiit, vbi per aliquod tempus literis operam dedit: sed ibi non diu commoratus est, quin pestifera Papistarum religione imbutus fuerit. Quod cum perspectum esse alumnis *Cantabrigiensibus* obseruasset, illinc remigrauit, & ad Academiam *Oxoniensem* venit, ibiq; operam literis aliquantisper in Aula *Glocestrensi* navavit: sed diu *Oxonienses* latere non potuit eius vana religio: vnde factum est, vt maxima amicorum intercessione (qui omni studio eum laborabant, ab

erro-

erroribus suis reuocare) vt homines docti, & huius Academiæ alumni, sicut doctissimus *Humfredus* regius professor cum D: *Balgeio*, & cæteris (quorum nomina nunc mihi non occurrunt) grauitèr, amicè, & doctè cum illo de superstitiosa illa religione expostularent, & vt à viris omni fide dignissimis acceperim, his se religioni Papisticę renūciaturum, præscripto diuino obsequuturum, & denuò victurum secundum leges ecclesiæ *Anglicanæ* promisit. Quo facto (parentibus ignorantibus) ex *Anglia* in *Galliam* se cōtulit, & in seminarijs *Rhemensibus* & *Romanensibus* aliquantisper degit. Tandem sacris initiatus missas celebravit, & in *Angliam* à *Romanensibus* missus, reuersus est. *Londini* quibusdam catholicis (vt aiunt) missas habuit, & alia officia Papistica peregit: hoc ipse post examinationem non negauit sed plane confessus est, ideoq́ue coram iudicibus captus tandem in carcerem conijcitur, ibiq́ue detinetur donec amici eius summa cum diligentia ei libertatem procurassent, qui & mecū, ex tenebris Papismi ad euangelij lucem ex animo eius conuersionem sitientes, multis verbis agebant, vt secum in hoc negotio collaborarem, & dexteras societatis iungerem. Non potui pro amore, summoq; eorum honore (quibus ego plurimum multis nominibus debeo) votis non satisfacere, &

Mira Osberni incōstantia.

Osbernus suorum proditor.

maxi-

maximè propter flagrantissimum eum lucrifaciendi studium, quo detinebar, illis morem gerere non recusavi. Ille primò partes suas mordicùs defendebat, sed veritatis vi, & argumentorum momentis pressus, (vt tũc ille ingenuè fatebatur, quamvis nunc in sua relapsione id perneget) palinodiam cecinit, sententiam mutavit, e custodia liberatus est, ad ecclesiam nostram cum aliis Christianis *Anglis* accelsit, sacris concionibus adfuit, sacras scripturas lingua vernacula assiduè lectitavit, omniaque nostra approbavit, Papæ & nefariis eius constitutionibus renũciavit, articulis quibusdam numero septem, sine vlla coactione in domo *D: Roberti La.* equitis aurati avunculi sui subscripsit, coram viro illo honoratissimo vereque Christiano, multisque aliis testibus idoneis in cœnaculo eius tunc temporis adstantibus. Ante eius subscriptionem nobilis ille miles *Osberni* istius avunculus, (vir aliis nominibus multis, sic hac de causa maxime prædicãdus & honorãdus, ꝙ ardẽtissimo veritatis Christi studio semper teneretur) grauiter, prudẽter, & oratione sua vi affectibus plenissima illum hortabatur, ardentissimeq; obtestabatur, vt sui & amicorũ suorũ rationẽ habeat, vt nunc tandẽ se colligat, Deũ in cõsiliũ adhibeat, Papę & omnibus hominibus renũciet, & scripturæ sacrosanctę vocem attendat, extra quam nullam esse veritatem gravissimè piissimeq; affirmavit. Ille

Vir semper verè zelotypus pro religionis veritate.

Pia & vehemens exhortatio.

autem ad sese quod attineret protestabatur, se non ex fuco vllo, sed ex intimo cordis affectu subscripturum, ingentésque gratias egit tum honoratissimo suo avunculo, cæterisque amicis, tum maximè nobis, qui ad suadẽdum atq; persuadendum illi aliquando conuenire solebamus. Ego autem, vt aliquid tandem de meipso loquar, nulla in re quæ penes me fuit, vnquam illi defui, in omnibus rebus licitis ei inservire studui, de eius conversione magno gaudio affectus fui, illum in vera religione confirmare elaboravi, sed tandem oleum & operam perdidi. Nam paucos post dies ad transmarinas partes iterum clam se contulit. Atq; vt beneuolentiam atq; fauorem *Romanistarum*, quam defectione amiserat, iterum conciliaret, hanc palinodiam cecinit, vbi multa ingratè in charissimam patriã suã, eam *Sodomam* appellans: in euangelii professores, eos *Machiavellianos*, homines vaferrimos, nullius religionis, seductores, impios & diaboli ministros vocans: in iudicũ seueritatem, & asperitatem, *Phalaridis* tauro pœnas ab ipsis malefactoribus constitutas comparans: adeoq; in omnem statum publicum maledicta ingerit. Omnes huius palinodiæ partes, coniunctè & consertè non apponam, sed summam eorum quę de me & *Harto* (qui in hoc negotio symmista meus fuit) minus cãdide (vt ego existimo) scripsit, subnectere *Osbernus ter recinuit*

 vi-

visum est. Dixit se subscripsisse iis articulis qui à *Gulielmo Harto* (concionatore conuivali siue cubiculari avunculi sui D. R. E. quemadmodum ei complacuit virum doctum suauissimisq; moribus præditum, contumeliose nominare. Vt ego verum libera voce confitear, non mihi constat vtrum articuli isti fuissent excogitati, & prius literis ab *Harto* mandati, nec ne: nec momenti est, sed illum iisdem articulis modo supradicto subscripsisse non coactè, quamvis simulatè, exploratum habeo.

Huius sceleris, sicut etiam prioris suæ defectionis me esse auctorem clamat atq; exclamat: concionatoris celebris nomen mihi (quod ego minimè arrogo) tribuit, sed vita me planè infamem esse affirmat. Siccine *Osberne*? quæso quo nomine ego sum vita infamis? quod scandalum vel evangelio, vel Christi ecclesiæ ex vitæ meæ infamia ortum est? Nunquā (gratia sit Deo) vel propter religionem, vel propter vitam in ius vocatus fui: nunquam ego carceres, custodias, & ergastula, nisi tui gratia perlustravi: sat habeo eorum censuram quibuscum diutissime vixi, me posse ab hac tua improba calumnia liberare. Ingratus nimis es *Osberne*, qui, cum colubro *Æsopico*, pro beneficio reddis mihi calumniam. Recognosce vitæ tuæ anteactæ conditionem: memoria recole quam vanus

Ingratitudo Osberni.

vanus & inconstans fuisti in religione. Convitia tua nullum habent aculeum, nullum vulnus faciant, dignitatem meam Iesu Christo tuendam commisi, non floccipendo omnium adversariorum convitia: sed quæso advertite (lectores humanissimi) quod indicium ei erat infamiæ vitæ meæ, hoc scilicet, quòd cum viderem signum Christi pendentis in cruce in fenestrâ vitrea cęnaculi patris sui hac sententia inscriptum: Compatiaris patienti, qui nostram operatus es redemptionem: ego spiritu energumeno afflatus, (vt ait) hanc sententiam pietatis plenissimam eraserim. Estnè hoc tam capitale facinus (si hoc verum esset quod ait) eradere sententiam insulsam, nulloque eloquii divini testimonio nitentem? Sed res ipsa pro me abundè loquitur, & testatur ipsum sine causa criminari. Nam sententia illa adhuc integra in prædicta fenestra manet: neq; à me, aut à quoquã alio vnquam fuit deleta. Quæ obsecro est hæc calumniandi licentia? Sententiã aliam e *Anglico* sermone conscriptam, superstitionis non pietatis plenam, à me tunc temporis deletam esse ingenuè fateor. Sententia hęc fuit: Domina Maria opitulare nobis. Hæc sententia cum lingua vernacula scripta esset, infirmiores scandalizabat, ideo eam funditùs erasi: Energumeni an hoc sit, iudicent omnes pii lectores. Nemo prudens est hanc fabulo-

sam

ſam illius palinodiam legens, qui non iudicet illum potius ſpiritu dęmoniaco fuiſſe afflatum: nam ille mendax eſt & pater mendaciorum, & quotquot mentiuntur, ſpiritu eius reguntur. Superciliose iactat ſe mecum de hoc meo ſcelere graviter expoſtulaſſe ineptiſsime meas partes defendente, quod quoq; falſum eſt. Nam ille nūquā mecum vel de hoc, vel de vlla alia re iam in cōtroverſia poſita dimicavit. Ego autem pro officii mei ratione, & pro beneuolentia qua illū proſecutus ſum, quā ſæpiſſime cum eo de præcipuis fidei catholicæ capitibus, de Chriſtianę religionis principiis, & de dogmatibus nunc cōtrouerſis ſūma fide (vt ſpero) egi. Puerile illud cōmentū de familiari ſua conuerſatione cū doctiſſimo *Foxo*, & de reſponſione eius ad locum quendā *Epiſt*. 2. *D. Petri, ca*: 1. ab illo adductū ad fidē faciendā bonis operibus cauſam eſſe iuſtificationis noſtræ & ſalutis, reſponſione indignū eſt. Alia ſua convitia pudore prohibitus taceo. Hic (ornatiſſimi Academici) inſpicere licet Papiſtarū fidē, audaciā, iactantiā, vanitatē, & egregiā calūniādi licētiā. Nihil enim eſt tā impiū, tam vanū, tā inſulſum, tā abſurdū, quāuis ſit omni iudicio omniq; cerebro vacuū: quod ad fidē & dignitatē Chriſti miniſtrorū extenuandā & deſtruendam, eructare effrontes iſti calumniatores verētur. Mirū hoc nō eſt, nec eſſe debet

bet

bet. Nam veritas semper in terris peregrinatur, semper apud mundũ male audit, semper huic sorti fuit subiecta. Hęc autẽ (Deũ testor) me nõ ex liuore, nõ ex iracundia, nõ ex ostẽtatione, & vana gloria quasi auram popularẽ sequerer, nõ ex vllius personæ præiudicio, nõ deniq; ex vlla acerbitate edidisse, sed hęc verissima, quãvis indolata, impolita, & inculta, importunitate adductus adversarii, pro mei ipsius innocentia tuenda, pro veritatis defensione, pro scandalis quæ rudioribus ex hoc scripto imminebant remouẽdis, apologeticè scripta, vestræ benignitati offero. Possem equidẽ & ego, si liberet adversariorũ calũniam imitari, adversariũ meum pressius vrgere: Sed ego charitatẽ amplector, & causæ meæ æquitatẽ, vitæq; innocentiam Christo Iesu summo iudici concreditam refero, qui secretissima quæq;, ad æternam sui nominis gloriam est reuelaturus: hunc ergo obtestor ardẽtissimisq; precibus obsecro, vt hunc meũ adversariũ, cũ omnibus alijs, qui nomẽ sanctum eius profanant, ad evangelii filii sui notitiam & splendorẽ ex tenebris ignorantiæ adducere velit: simulq; eos, quibus pro infinita sua bonitate aliquam evangelii lucẽ largitus est, vt in veritate agnita cõfirmet, ne relapsione, finis eis principio deterior sit: quod in hoc homine nunc quam in principio obduratiori nõ abiq; dolore experimur. Liceat mihi nũc,

vt ad finem tandem delabar, de vtriusque nostrum religione & vita, *Hugonis* verbis appositè vti.

In lege Domini duo sunt testes: vita & cõscientia. Duo sunt iudices, meditatio & scientia. Duo sunt consiliarii, amor Dei & proximi: bonus testis bona vita, bonus iudex bona conscientia. Coram Deo testis est conscientia, coram hominibus vita. Attendat quæso *Osbernus* quomodo *Augustinus* eum cæterosq; relapsos alloquitur, qui post lavacrum, mundi esse negligunt, qui post lachrymas, vitæ innocentiam non custodiunt: Lavantur quidem, sed mundi non sunt, quia commissa flere desinunt, & iterum flenda committunt. Et idem pater illum suiq; similes optimè hortatur, dicens, Post fletum non cõmittas quod iterum necesse sit flere, nec defendas quod malè loquutus es, & quę malitiosa mente cõcepisti pessima facta ne replices. Sed scriptis finem imponam, Deum optimum maximum communem patrem nostrum rogans, vt ecclesiam charissimam eius sponsam incolumem conseruet, eam ab insidiis & machinationibus Satanæ & ministrorum eius qui foelicitati *Sion* insidiantur, liberet, omnesque inimicos eius (qui prætextu quodam beneuolentiæ eam immaniter lacerant) compescat pro infinita sua misericordia, cui omnis laus in secula sempiterna. *Amen.*

Con-

Concio habita Oxoniæ festo cineritio. A. D. 1594. per R. L. B. S. Th.

Textus ex 3. cap. Ep. D. Pau. ad Philipp. Ver. 1. vsq; ad 5. De cetero fratres mei gaudete in Dom. charissimi.

Textus tria complectitur.

1. *Exhortationem Apostoli.*
2. *Necessitatem huius admonitionis.*
3. *Eos qui verum Deo cultum præstant.*



NON obscurum est *Philippos* clarissimā fuisse totius *Macedoniæ* vrbem vt ex Act: Apost: Cap. 16. ver. 12. constat. Hic cum Apost: *Paul:* purum dei cultum & veritatem euangelij Christi proseminasset, postea propter veritatis testimonium *Romæ* captus est, & carcere detentus. Quamobrem propter libertatis eius amisionem, & varias indignitates & angustias, valdè anxij fuere *Philippenses*, & in summa tristitia atq; mœrore cōstituti. Vnde *Epaphroditum* miserunt, vt *Paulo* subministraret, ad vitam tuendam quæ erant necessaria. Nec mirum videri debet, illos de *Paulo* solicitos fuisse, quando illis persuasum fuerat, eum non solùm tyranni crudelissima tormenta sustinuisse, sed vltimū ferè vitæ diem propter euangelii prædicationem obiisse. Fueruntq; mœsti propter lon-

gam

gam *Epaphroditi* ministri sui absentiam; Hîc Apostolus illos à mærore & curis reuocare studet, & ad animos colligendos hortatur: (quasi diceret) nō habetis amplius vllam tristitiæ causam, habetis *Epaphroditū*, cuius causa nuper condoluistis: habetis *Timotheum*; viuo, & veniam ego. Euangelium propagatur. Absit à vobis tristitia, absit mæror, absit timor: nec solum vobis à tristitia est abstinendum, sed summo gaudio perfundamini. Gaudete ergo in Domino fratres mei, non iuxta mundum, nam absq; Domino nullum est gaudium. Hìc Apo: vocat *Philippenses* fratres, *Galatas* autem alio in loco vocauit filios: rationem huius discriminis optimè assignat *D: Chrysostomus* hunc locum tractans: *quando vel corrigere quicquam instituit Apost: vel amoris affectum ostendere, filios appellat: quando vero cum maiore honore disserit, fratres vocat.* Monet ergo *Paulus Philipp.* gaudere, non in mundo, non in rebus externis, non in legalibus obseruantijs, ad quę eos Pseudo apostoli adducebant, sed solummodo iubet eos gaudere in Domino, sine quo non est gaudium, non exultatio. Sic fecerunt Prophetæ, sic Patriarchæ, sic Apostoli, sic sancti, sic omnes Dei electi. Plus enim gaudebat *Paulus* in catena ferrea, quam *Nero* in aurea corona. Hinc propheta *Habacuk* de seipso sic loquitur: *Ego* *Hab. cap. 3. vers. 18.* *autem gaudebo in Domino, & exultabo in deo meo*

&

& Apoſtolus quoq́ue *Paulus* ait: *mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo.* De hoc gaudio loquitur ſanctus vates *Ieremias. Hæc dicit Dominus, non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in divitijs ſuis: ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra.* Hoc modo ſolebant ſemper Prophetæ, & *Chriſti* Apoſtoli ſuos auditores animoſos reddere, ne ſuccumberent, quia quotidianis rumoribus Satan eos percellere non deſinebat. Hîc Apoſt: iubet eos eſſe ſecuros, & bono preſentiq; animo, hac ratione ad conſtantiam eos hortans, ne deficiant a ſuſcepta ſemel doctrina: nam eximia & admodum rara virtus eſt, vbi nos crucis amaritudine exacerbare molitur Satan, vt inſuave ſit nomen Dei, in ſolo gratiæ Dei guſtu acquieſcere, vt moleſtiæ omnes, dolores, curæ, & mærores dulceſcant. *Gal. cap. 6. ver. 14.* *Ier. cap. 9. ver. 23. 24.*

Eadem vobis ſcribere &c. *Textus.*

In hiſce verbis incipit de Pſeudo-apoſtòlis agere, & paucis verbis eos refellit. Nam *Philippenſes* modò tentaverant, & adoriri inceperant, eos autem adhuc non expugnaverant. Simpliciter ergo monet vt diligentes ſint in diſcernendis &

caven-

cavendis impostoribus. Sic beatus *Iudas* Apost: omnes fideles in sua Epistola alloquitur. *Dilecti cum omne studium adhibeam vt scribam ad vos de cõmuni vestra salute, necesse habui vobis scibere, ad vos hortandos, vt decertetis pro fide quæ semel tradita est sanctis:* & *Paul:* noster eodem sensu suos *Collossenses* hortatur, *Vt animose permanerent in fide fundati & stabiles, & immobiles a spe evangelij, quod audierunt, quod prædicatum est in vniversa creatura quæ sub cælo est, cuius ego Paulus factus sum minister: qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est ecclesia.* & in *Cap.* 4. huius *Epistolæ* quam præ manibus habemus, *Paulus* vtitur hisce verbis ad fidem *Philippensium* confirmandam. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus prope est: nihil soliciti estis, sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum, & pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu.* Hinc scitè & verè loquitur *Barnardus*. *Illud est verum & summum gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur: quod cum acceperis, nemo tollet à te: cui aliundè comparata omnis iucunditas mæror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum est, omne decorum*

Iud. ep. v. 3

Coloss. ca: 1. *ve.* 23. 24.

Phil: ca: 4. *ver.* 4.

Barnardus in quodam sermone.

fædum

fœdum est, omne postremò quod delectare potest molestum est.

Sacra scriptura de duplici gaudio loquitur. Vnum est mundanum, quo homines carnales in rebus temporalibus gaudent: Alterum est æternum, verum, & permanens, quod impijs & temporalium amatoribus nō datur. De vero illo gaudio satis eleganter loquitur *Augustinus: Est gaudium quod non datur impijs, sed eis, qui gratis te colunt, quorum gaudium tu ipse es, & ipsa est beata vita gaudere de te, propter te, ipsa est & non est altera.* August: li. 9. confessionum.
Et de vano & caduco illo gaudio sic ait. *Temporalibus gaudent, qui bona æterna non norunt desiderare.*

De certitudine & stabilitate veri huius gaudij loquitur *Christus* apud Euangelistam *Ioh: cap. 16. Iterum autem videbo vos & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ioh. cap. 16. vers. 22. & iterum eos ad precationem exhortans, ait: *Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum:* ver. 24. & in eodem *Cap:* docens qualis sors suos in hac vita maneat, quia prævisa mala minùs lædunt, eos ad omnia huius mundi incommoda fortiter sustinenda his verbis hortatur: *Hæc loquutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.* Apostolus *Paulus Galatis* spiritus fructus enumerans, verum hoc

Gal. cap. 5. ver. 22. gaudium de quo loquimur in secundo loco posuit, dicens: *Spiritus fructus hæc sunt: Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas,* & cætera quæ illîc sequuntur. Christus apud *Lucam* docet quibus rebus gaudere debemus, non divitiis, non vlla re mundana, non miraculorum donis: sed quia nomina nostra scripta sint in cælis. *Veruntamen* (inquit) *in hoc nolite gaudere, quòd spiritus vobis subijciantur: gaudete autem quòd nomina vestra scripta sint in cœlis.*

Luc. cap. 10. ver. 20.

Hactenus de parte priori.

SEcunda Textus diuisio sequitur, quæ est ratio & causa huius doctrinæ: ratio sequitur ab importunitate & vigilantia seductorum, sic: instant seductores, ideo Evangelium instantiùs prædicandum est: summaque sedulitate debent Christi ministri, & pastores ecclesiam Dei attendere & vigilare, Pseudo-doctores refellere, eorum argutias detegere, perseverantiam vrgere, & fideles *Philippenses* a legalibus observantiis removere. Primò notas quasdam apertas assignat Apostolus, quibus immanissimæ & truculentissimæ impostorum proprietates dignoscerentur, iubens eos videre & observare *canes, malos operarios, concisionem,*

nem. Canis enim naturâ adeo impurus & impudens est, vt statim ex ira latret, non ex ratione sed ex consuetudine. Rectè ergo olim vaticinatus est *Esaias* Propheta de his impostoribus, *Canes impudentissimi nesciêrunt saturitatem, ipsi pastores nescierunt intelligentiam*. Vocat Apost: Pseudo-apostolos, malos operarios, qui non fideliter in Domini vinea laborant, neque bonum semen in agrum Dei mittunt: quemadmodum ait salvator in Evangelio de illis, qui zizania & infælix lolium in agro Dei superseminassent: inimicus homo hoc fecit: hinc loquitur Apost: *Paul*: ad *Timoth*: *Cura te ipsum probatum sistere Deo operarium, qui non erubescat, & qui rectè verbum veritatis secet*. *Moses* homo Dei, *Deuteron*: *capit*: 18. *vers*. 20. designat pænam grauissimam Pseudo-prophetis. *Propheta autem, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aut in nomine aliorum deorum, interficietur*. Quare monet Apost: *Coloss*: ne hi canes impuro latratu eos decipiant, & veram doctrinam impetant: *Videte (inquit) ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum*. Vocat Apost: hos seductores, omniũ dissensionum authores, & cum vrgebant circumcisionem quæ non potest

Esa. ca. 56.

Epi. 2. ad Tim. cap. 2.

Deut. cap. 18. ver. 20.

Coloß: ca. 2. ver. 8.

cum gratia Christi stare, allusione quadam eleganti dicit, hi habēt concisionem, non autem circumcisionē. Quùm enim legitimum non sit quod isti perpetrant, nihil aliud est quam carnis sectio, & concisio, propterea quòd vnitatem lacerare, & ecclesiam Dei concidere tentabant: vt *Chrysostomus* in hunc locum scribens annotat. *Ideo Apost. vocat Pseudo-apostolos concisionem, quoniam circumcisionem vti rem ad salutem necessariam docebant: eâq; doctrinâ corda Philippensium à vera fide abscindebant.* Ex hoc loco *Paulino* discāt omnes Christi fideles ministri atq; pastores, officiis incūbere sine tædio, sine pigritia. Nam cum sæpius innuere videtur de iisdem rebus, quas antea audierant, tamen Apostolum non piget illas iterare, quia periculum nō mediocre imminebat *Philippensibus* ex *Pauli* silentio: & porrò boni pastoris est, non solùm pabulum gregi suppeditare, & suo ductu regere oves, sed lupos caulis ingruentes abigere, neque id semel, sed perpetuò stare in excubiis, neque vnquā fatigari, quia perpetuò vigilant fures & latrones ad ecclesiæ Dei perniciem. Huc spectat illud *Ezechielis* Prophetæ: *Cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens: fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo verbū, & annunciabis eis à me: si dicente me ad impium, morte morieris, non annūciaveris ei, neq; loquutus fueris*

Chrysost.

Ezec. c. 3. vers. 1. 2. 3.

eris ut avertatur à via sua impia & vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requirā. De hoc piè & sanctè loquitur *Gregorius*: *Quisquis populi speculator ponitur, in alto stare debet per vitam, ut possit prodesse per providentiam. Hieronimus* eleganter in hunc locum scribens, ait: *magnum est discrimen Dei tacere sermones ob triplicem causam: vel propter timorē, vel propter pigritiam, vel propter adulationem.*

Greg. Ho. 11. super Ezech.

Hieroni. super Cap. 3. Ezech.

De hac diligentia quæ requiritur in pastore, præclarè aliquando dixit *Augustinus*: *Ad panem ventris cum labore pervenitur, quanto magis ad panem mentis statis & auditis: laborat ne moriatur homo moriturus, & non laborat ne peccet homo in æternum victurus.* Fratres charissimi, solicita consideratione pensate, quam rationem reddituri estis Archiepiscopo Christo pro grege vobis commisso: studete omni vitio, tum in doctrina, tum in vita vacui esse: nolite peccatis alienis communicare, summo studio contendite puri omnino esse à sanguine gregis Domini. Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Dei, dicit Apostolus. Si ergo quilibet sine prædicante non audit, sine auditu non credit, sine fide non intelligit, sine intellectu bene non agit: verbum Dei prædicandum est, ut audiens credat, credens intelligat, & intelligens bonum opus perseveranter exerceat. Ob-

Augustinus super Iohan.

Act.Ca.20. vers.21.

vemus (fratres) sinceritatem *Pauli*, qui contestatur se esse purum à sanguine omnium hominum, *Act.20.ve.21. Ideo testor vobis hodierno die me purũ esse à sanguine omniũ hominũ: nõ subterfugi, quo minus annunciarẽ vobis omne Dei cõsiliũ.* Et iterũ ad *Gal:* dicit: *Nunc enim vtrum homines an deũ suadeo? an quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerẽ, Christi servus non essem.* Hinc loquitur *Ambrosius* tractans 4. *ca. ep.1.* ad *Cor. Liberè enim & sine adulatione veritatem prædicantes, & gesta pravæ vitæ arguentes, gratiam non habent apud homines.* Magno amore, ardentissimoq; zelo omnes Prophetæ veteres, & antiqui Dei ministri, populos sibi cõmissos prosequebantur. Ex infinitis hìc libet vnum insigne de *Mose* Dei viro perscribere testimonium. De hoc sic olim benè scripsit

Gal.cap.1. verse. 10. Ambr. in 4. ca.1. epist. ad Cor.

Gregorius.

Gregorius: Moses sic amavit eos, quibus præfuit, vt nec sibi parceret: & tamen delinquentes sic prosequutus est, quos amavit, vt eos etiam Domino parcẽte prosterneret: vtrobiq; legatus fortis, vtrobiq; mediator admirabilis. Causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gaudijs allegavit. Apost: *Paul:* prædicandi verbum Dei necessitatem *cap. 9. ep. 1.* ad *Cor.* disertis verbis exponit: *Nam etsi evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit, væ enim mihi est si non evangelizavero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est.*

Cap.9.ep. 1. ad Cor. vers.16.17.

Multo

Multo enim consilio & prudentia opus est pastori, vt ait *Chrysostomus*: & mille (vt dicitur) oculis ad speculandam vndique habitudinem earum quas gubernat, animarũ. Quis quæso (fratres charissimi) tam ferreus & saxei pectoris est, quem iudicium Domini de malis pastoribus, semet-ipsos & non gregem sibi commissum pascentibus apud *Ezechielem* Prophetã non terreat? quis ad hæc nõ contremiscat? quis ista sine intolerabili metu futuræ examinationis accipiat, nisi qui hæc non intelligit? aut futura esse non credit? Sic loquitur Propheta: *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod crassum erat occidebatis. gregem autem meũ nõ pascebatis. Quod infirmũ fuit non consolidastis, & quod ægrotũ nõ sanastis, quod confractum est nõ alligastis, & quod abiectũ est nõ reduxistis, & quod perierat non quæsiistis: sed cum austeritate imperatis eis, & cum potentia.* Hinc præclare *Gregorius* de negligẽtia pastorũ sui tẽporis loquitur: *Quid nos O pastores agimus, quãdo mercedẽ cõsequimur, & tamẽ operarij nequaquam sumus? fructus quippe sãctæ ecclesiæ in stipẽdio quotidiano percipimus, sed tamẽ pro æterna ecclesia minimè in prædicatione laboramus.* Pẽsemus cuius dãnationis sit, sine labore hinc pcipere mercedẽ laboris: ecce, ex oblatione fideliũ vivimus, sed quid pro animabus fideliũ laboramus, quãobrem

Chrysost. in dialog. li. 2.

Eze. ca. 34. verse. 3. 4.

Greg. Ho. 7.

eadem cura sit in vnoquoq; nostrum, quam in beato Apost: *Paulo* pro suis *Thessal*: fuisse legimus, quando eandem rationem redditu- ri simus summo pastori Christo pro grege nobis commisso: *Sed facti sumus* inquit ille, *parvuli in medio vestri, tanquam si nutrix foveat filios suos*. Quid tandem dicā de ardentissimo salvatoris nostri Iesu Christi zelo pro eccle- sia sua? Ille enim *circumijt totā Galilæam docens in synagogis ipsorum & prædicans evangelium reg- ni, & sanans omnem languorem in populo*: vt habe- tur apud *Math. cap. 4. vers. 23.*

Cap. 2. ep. 1. ad Thess. vers. 7.

Mat. ca. 4. vers. 23.

Tertia pars divisionis. Qui illi sunt, qui ve- rum Deo cultum præstant.

PSeudo-apostoli & carnales isti imposto- res semper vrgebant ceremonias legales & ipsam legem *Mosaicam* contra *Pauli* doctrinam ad *Gal. cap.* 5. *Si circumcidamini Christus vobis nihil proderit*. Apost: hìc non loquitur de circumcisione ista corporis de qua mentio est *Cap*. 2. ad *Rom*. sed de vera ista circumcisione cordis in spiritu, per quam spiritus sanctus abscindit superfluas interiores concupiscentias. *Iohannes* Evan- gelista docet, quis sit verus Dei cultus in il- lo loco, vbi Christus reprehendit fictum *Samaritanorum* cultum, *sed venit hora, & nunc est, quum veri adoratores adorabunt pa-*

Ad Gal. cap. 5.

Cap. 2. ad Rom.

Joh. 4. ver. 21, & 23.

trem

trem spiritu & veritate, *& Pater tales adoratores quærit*, *qui ipsum sic adorent*. Cultus divinus, veraque religio nulli certo loco est alligatus, sed vbique esse pot est, modo adsint idonei confessores. Deus spiritus est, & qui adorant eum, oportet vt spiritu & veritate adorent, & qui Deum hoc modo adorant, purum Deo cultum præstant, verique sunt Dei adoratores. De hoc vero & genuino Dei cultu loquitur Apost: ad *Rom.Cap.1.verse 9. Testis enim est mihi* *Ad Rom. c.1.ver.9.*
Deus, cui servio spiritu meo in evangelio filij ipsius. Et *Epist.1.* ad *Cor.cap.14. Psallam spiritu,* *Ad Cor. cap.14.*
psallam mente, orabo spiritu, orabo & mente. Ille ergo verè circumcisus est, qui interiùs per spiritum sanctum renovatur in Christo, qui est veritas circumcisionis. De hac interna circumcisione loquitur *Pau:* ad *Col: Cap.2.* *Coloss.2.*
Circumcisi estis circumcisione non manu facta in *vers.11.*
expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: & non habentes fiduciam in carnali circumcisione, quia vt ait *Iohannes,* *Jo.cap.6.*
Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam.

Caro aliquando sumitur in sacris literis pro carnali concupiscentia, aliquando pro carnis cura: & vtrunque debemus circumcidere nec in eis gloriari. Nam sumus verum *Abrahæ* semen & heredes testamenti (quod symbolo circumcisionis sancitum fuit,)

it,) qui Deum spirituali cultu adoramus. Intelligit *Paulus* per cultum spiritualem, eum, qui nobis in evangelio commendatur, constatque fiducia, & Dei invocatione, abnegatione nostri, & pura conscientia. Ex adverso vrgebant Pseudo-prophetę externum cultũ & ceremonias legales, magno supercilio se esse Dei electos vociferantes, cum tamen liquidò constet eos esse verè circumcisos, qui in veritate vnum verum deum colunt, & rectam religionem.

Est Antithesis in hoc loco valdè elegans quùm nos in re ipsa, illi in symbolis hærent, nos in corpore manemus, illi vmbras respectant.

Textus. *Et non habentes fiduciam in carne &c.*

Carnem hoc in loco appellat Apostolus quicquid est extra Christum Iesum.

Textus. *Tametsi ego &c.* Non de effectu hic loquitur *Paul:* sed se quoque gloriandi argumentum habere significat, si libeat aliorum stultitiam imitari: ac si diceret; infinita gloriandi materia mihi suppetit, sed in carne gloriari vanum & inutile est: ideò mea gloria stabiliori nititur fundamento, quia in Christo sita est. Hinc discimus quomodo refellenda sit eorum arrogantia atque falsa doctrina, qui extra Christum superbiunt, ne patiamur illos Christo insultare ineptâ iactantiâ.

Audiamus attentè *Eusebium Emissenum*:

veros

veros religiosos, sincerosque Dei cultores in quodam sermone ingenuè describentem: *Verus religiosus debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia.* Deus non est adorandus secundùm hominum inventionem, sed secundùm præscriptum legis eius. Non enim gaudet in externis ritibus, cultuvè superstitioso. *Origenes* optimè de discrimine legis & evangelii loquitur: *Si observatio sacrificiorum & instituta legalia, quæ in typo data sunt populo Israel, usq; ad præsens tẽpus stare potuissent: exclusissent proculdubio evãgelij fidem, per quam ex adventu Domini nostri Iesu Christi, gentes convertuntur ad Deum: erat enim in illis quæ tunc observabantur, magnifica quædam & totius reverentiæ plena religio, quæ ex ipso etiam primo aspectu obstupefaceret intuentes.* Quis enim videns illud quod appellatur sanctuarium, & intuens altare, astantes etiam sacerdotes sacrificium consummantes, omnemq; ordinem quo cùm illa gerebantur aspiciens; non putaret plenissimum hunc esse ritum, quo Deus creator omnium ab humano genere coli deberet. Sed gratias adventui Christi, qui animas nostras avellẽs ab hoc intuitu, ad cõsiderationẽ cælestiũ, & cõtẽplationẽ rerũ spiritualiũ erexit, & destruxit quidem illa quæ magna videban-

Eusebius Emisse: in quodam sermone.

Origenes.

bantur in terris, cultumque Dei à visibilibus ad invisibilia transtulit, & à temporalibus ad æterna, sed reverà & ipse Dominus Iesus Christus & aures requirit quę hæc audiant, & oculos qui hæc videant.

Rom.ca. 12. *Paulus* noster *Cap.* 12. *Epist ad Rom*: quo more verus ille cultus Deo sit præstandus, liquidò docet. *Precor vos igitur* (*fratres*) *per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum*: per rationalem sive spiritualem, incorporeum significat: opus est autem hunc cultum esse incorporeum, & per incorporeum quod est in nobis, hoc est, per animam, & animæ mundiciem offerri.

Delirant isti professores qui in locis, in personis, in vestibus, & habitibus, in dierum & cæterorum externorum observantiis sanctitatem collocant, & religionem ponunt: hi omnem religionem, omnemque cultum divinum vanissimis suis captiunculis metiuntur. Barnardus. Hos optimè monet *Barnardus*: *Attende igitur diligenter quid diligas, quid metuas: non gaudeas vel contristeris, & sub habitu religionis animum secularem, & sub pannis conversationis invenies cor perversum*. Hinc Propheta *Micheas* de recto & puro illo cultu sic ait:
Mich.ca.6. ve.6.7 8. *Q[u]id dignũ offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? nunquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos? nunquid placari potest in millibus*

bus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi O homo quid sit bonum, & quid Deus a te requirat: vtiq; facere iudicium, & diligere misericordiã, & solicitum ambulare cum Deo tuo.

De externis illis ceremoniis (quibus Deum placari existimabant *Iudæi*) apud *Esaiam Cap.* 1. *ver.* 11. conqueritur ipse Dominus: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus, plenus sum: Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem hircorum nolui: cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atrijs meis? ne offeretis vltra sacrificium frustrà, incensum abominatio est mihi: neomeniam & sabbathum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri, calendas vestras, & solẽnitates vestras odit anima mea. Facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens, & cum extenderitis manus vestras avertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ plenæ sanguine.* & in eodem loco docet, in quibus rebus verus eius cultus sit constitutus, dicens: *Lavamini, mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere, quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillos, defendite viduam.* Esa. cap. 1, ver. 11, &c.

hæc

hæc præſtantibus ſpem miſericordiæ, & peccatorum veniam in verbis ſequentibus promiſit. *Et venite & arguite me, dicit Dominus: Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis.* Faceſſant itaque omnes cultus fictitii, omnia hominum inventa. Cedant ſpiritualibus temporalia, divinis humana, cæleſtibus terrena, Dei præſcriptis hominum commenta. Cedat veritati vanitas, luci cæcitas, rectitudini error, & certitudini dubitatio; perfectam & abſolutam obedientiam requirit Dominus, non ſacrificia, non legales ceremonias, non vllum cultum ab hominibus excogitatum. Ad hęc pertinet illud Prophetæ *Ierem: cap. 7. ver. 21. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: holocautomata veſtra addite victimis veſtris, & comedite carnes, quia non loquutus ſum cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum: ſed hoc verbum præcepi eis, dicens: audite vocem meam, & ero vobis Deus & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via quam mandavi vobis vt bene ſit vobis.* De hoc acceptabili Dei cultu, ſic loquitur *D: Petrus cap. 2. ep. 1. Ipſi quoque veluti vivi lapides ædificemini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, ad offerendum ſpirituales hoſtias acceptas Deo*

Ier. cap. 7. ver. 21.

per

per Iesum Christum.

Hucusque (charissimi patres & fratres in Christo Iesu dilectissimi) audivistis qualis cultus Deo sit præstandus: scilicet purus, sincerus, immaculatus, qui auctoritate Christi divini legislatoris nititur: non iste vanus, fucatus, & externus ex hominum cerebro excogitatus. Nam populo Dei nullum cultum divinum licebat exercere, qui priùs non lege expressa cōstitutus fuerat: & Prophetæ, & Apostoli, & omnes sancti ad verbum Domini nos passim revocant. Vnus est Deus & vnicus cultus vero huic Deo est præstandus. Vnde benè dixit *Augustinus: Religio vni Deo religatur non pluribus.* Immortales gratias agere sedulò debemus salvatori nostro Iesu Christo, qui nos glorioso suo adventu à multiplicibus legis observātiis, & Ætna gravioribus, benigne liberavit, & nos in libertatem filiorum vindicavit. Quia vt inquit Apost: accessistis ad montem *Sion* & civitatē Dei vivi, *Hierusalē* cælestē & myriadas angelorū, convētū & cōcionē primogenitorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicē vniversorum Deum, & spiritus iustorum consecratorum, & ad novi testamenti mediatorē Iesum, & sanguinē aspersionis, præstantiora loquētē quā loquitur sanguis *Abel.* Quapropter (charissimi) regnū illud assumentes quod concuti non potest, teneamus gratiam, per

Augustinus.

quam ita serviamus Deo, & ei placeamus cu[m] reverentia & religione: est etenim Deus noster consumens ignis.

Hactenus de huius Textus Doctrina. Pauca de Doctrinæ applicatione breviter perstringemus.

Liceat mihi nunc (viri patres & fratres) iisdē verbis vos, omnesq; christianos affari, quibus olim *Paulus* suos *Philippenses* alloquutus est, *gaudete in Domino*. Mundum contemnite, quæ sursum sunt quærite, cælestia cogitate, terrestria conculcate, despicite, odio habete.

Ex *Ægypto* vocati sumus, ad terrā promissionis festinemus: peregrinamur in hoc deserto, in valle lachrimarum, vbi pericula, angustiæ, curæ, molestiæ, ærumnæ, vbi nulla fælicitas, nulla quies, nullum gaudium, nullum exultationis argumentum nisi in Domino.

Non possumus duobus Dominis servire, Deo & *Mammonæ*, Domino & mundo: non possumus res caducas & æterna gaudia simul admirari: non possumus gaudere cum seculo & regnare cum Christo. Mundanorum enim gaudium sicut eorum spes peribit.

Mirum hoc est quamvis non novum, homines rationales, sensibusque communibus gaudentes, in rebus vanis, fluxis & caducis tantopere gaudere, quantùm vide-

mus

mus homines (si tamen hominum nomine sint digni) infælicis nostræ ætatis in his gaudentes. Vmbratile hoc eorum gaudium non permanet, sed quovis vento velocius, quavis vmbra fugacius transit: momentaneum enim est, & in tristitiam vertitur.

Infinita, O *Anglia*, tibi in Domino suppetunt gaudendi argumenta, posis enim cum *Psalmographo* dicere: *Deus cum nulla natione sic egit*: multis & infinitis donis te ornavit tum spiritualibus, tum temporalibus: recognosce tandem tuam intolerabilem ingratitudinem: recognosce quàm paternè Dominus tecũ omnibus nominibus egit. Te enim à servitutis domo, à leonum faucibus, à diaboli custodia, à tyrannorum carnificina mirificè liberavit, & ad conscientiæ libertatem, ad religionis puritatem, ad divini cultus sinceritatem, ad evangelij lucem, ad veritatis cognitionem, & ad pacis fruitionem ex infinita sua misericordia te vocavit. Ps.147.20.

Gaudete ergo in Domino, idquè more *Israelitarum*, qui ob religionis fœlicem successum, ob verbi divini manifestationem & intelligentiam, & scientiæ legis augmentationem læticiâ magnâ lætabantur. Sic enim in *Nehemia* legimus: *Levitæ autem silentium faciebant in omni populo, dicentes: Tacete, quia dies sanctus est, & nolite dolere: A-* Nehe. 8.11

byt itaque omnis populus vt comederet, & biberet, & mitteret partes, & faceret lætitiam magnam: quia intellexerat verba quæ docuerat eos.

Cavete vos (charissimi iuvenes) canes, malos istos operarios, omnes schismaticos, pseudodoctores, lupos pelle ovili amictos, Papistas, Iesuitas, seminarios, omnes istos desertores qui exierunt à nobis, qui vos inescare cupiūt. Nolite nec aures nec animos *Syrenum* istarum cantilenis accōmodare: hi habent mitem *Iacobi* vocem, sed pelliceas *Esau* manus: in illorum verbis est suavitas, in factis crudelitas: huc optime accōmodari potest illud poetæ,

Est in eis pietas Crocodili, astutia Hyenæ.

Vbi mare silet ibi est periculosum: in rosa redolenti est fœtidus vermiculus: sub saluberrima salvia latet venenata saliva: sub molli herba nocens anguis: & sub habitu & nomine catholicorum, latent immanissimi hæreticorum mores.

Hìc vos iterum ardentissimè obtestor, vt nolitis charissimam vestram matrem florentissimam hanc Academiam, celeberrimum *Angliæ* gymnasium, & bonarum literarum vberrimum seminarium, vestra vel inconstantia, vel aliorum suasu traducere, sicut fecerunt multi apostatici & spurii eius filii, qui non ex matre generosa, sed ex

noverca dolosa venenum exugentes, illud denuò in matris viscera vipereo more expuunt.

Spiritus vos probate, fidem tenete, hypocrisin fugite. Quemadmodum doctissimus ille *Humfredus*, ex hoc loco, hoc tempore, olim in sua eleganti concione vos admonuit: A fermento Pharisæorum cavete, Ex vna parte ne sequamini *Hermanni Risvich* errorem, qui a fide Christiana penitùs defecit, eam totam veluti stultam accusans, & *Aristotelis* doctrinam Christianæ gratiæ & veritati præferebat: Ex altera parte fugite *Baroistas* siue *Brounistas* nostri temporis schismaticos, qui artes liberales aspernantur, reiiciunt & despiciunt, vtpote Theologo non necessarias. Luc. 12. 1. Act. 20. vers. 28.

Papistæ vt faciliùs vos in fraudes illiciant, omne iudicium discernendi doctrinam tollunt, & omne illud ius potestatemque *Pontifici Romano* tribuunt; sed eorum vanitas nullo negocio, vel vnico hoc Apostoli testimonio refellitur, quia hoc in loco ille vtile esse *Philippensibus* hanc suam exhortationem audire iudicavit, vt discernerent lupos. Quid itaque sibi volunt Papistæ, dum nullum de sua doctrina iudicium fieri sustinent? nā quos obsecro alloquebatur *Paulus*, cū dicebat, videte? nonnè eos quibus nullum ipsi ius discernendi permittunt? & de iisdem loquitur Pet. 2. 1. cap. 5. ver. 1.

saluator, oves meæ vocem meam audiunt & sequuntur me, alienum fugiunt neque audiunt eius vocem: hi profugi & Antichristi ministri, qui a nobis discesserunt, nimis ingratè in nos tela vibrant, & ipsam suam patriam omnibus maledictis proscindunt. De his potest *Anglia* rectè dicere. *Exaltavi filios, & ipsi contempserunt me.* Hi lupi a caulis Domini veritatis gladio sunt abigendi, verbum Dei est contra hos impostores vrgendum. Domini grex est pabulo salutaris doctrinæ reficiendus; nullam occasionem populum corrumpēdi & seducendi illi prętermittunt: quantò magis nos pastores, ministri, & ecclesiæ custodes instare debemus? Audiamus quo modo nos in hac causa alloquitur *Paul: Act: 20. ver. 28. Attendite igitur vos ipsos & totum gregem, in quo spiritus sanctus vos constituit episcopos, ad pascendam ecclesiam Dei, quam proprio suo sanguine acquisivit.* Causam huius sedulitatis addidit, *ego enim novi post discessum meum lupos graves non parcentes gregi ingressuros esse in vos, & ex vobis ipsis exorituros, qui loquantur perversa, vt discipulos post se abstrahant.*

Esa. 1. 2. — *Act: ca. 20. vers 28.*

Hinc quoque loquitur *D: Petr: cap. 5. ep. 1. ver. 2. Pascite Dei gregem qui penes vos est, curam illius agentes non coactè, sed libenter: non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo, neque vt dominantes cleris, sed vt qui sitis exemplaria*

Pet. ep. 1. cap. 5. ve. 2.

gregis

gregis. Attendamus itaq; fratres, nobis & doctrinæ, instemus in illis; hæc facientes & nos ipsos salvos faciemus, & eos qui nos audiunt.

Papismi defensores manibus pedibusquè enixè laborant regnum Antichristi nunc nutans & collapsurum stabilire, & adminiculis inventionum suarum impiarum illud sustinere: quantò vigilantiùs nobis elaborandum est, & in excubiis semper standum pro defensione regni Christi, quod tam vehementer Satanæ arietibus concussum est, & ministrorum eius perditissimis conatibus quotidiè conturbatum. Sed non prȩvaliturus est diabolus cum omnibus suis: nam Dominus omnipotens, vel eo invito, potest regnum suum stabilire, quanquam aliquandò illi laxas permittat habenas, ad amorem suorum erga se comprobandū, & fidem electorum confirmandam: aliter non permitteret eius satellites tam liberè vbique volitare. Videmus ex *Roma* summa eius schola, novos quotidiè prodire scholares, quorum acumine freti eorum commilitones, quid non audent perpetrare? Operarij isti mali missi sunt in hanc vineam *Anglicanam*, nō a Domino, sed a Papa: non a possessore, sed ab vsurpatore: non ab hærede, sed a Romano tyranno: non enim ex *Hierosolyma*, sed ex Antichristi schola: non ex *Syon*, sed ex *Roma*, *Rhemisq;* prode-

Jer. 30. sunt isti doctorculi. De his possumus commodè verbis Prophetæ *Ier:* vti, *Cap.* 30. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.*

Nunc de *Romanorū* praxi & versutia, hoc in loco longiorē pertrahere orationē supervacaneū esse existimo: pręsertim cum videamus Papę legatorum, ambulonum, erronum & cęterorum eius exploratorum fraudes, fucos, dissimulationes, & periuria, a doctis satis superq; esse nudata, detecta, & graphicè depicta. Hoc tamen vnum præ dolore non possum silentio pręterire: homines eâdem patria natos, eodem lacte (vt aiunt) enutritos, & ex iisdem Academiæ spaciis egressos, tanta dementia fuisse divexatos, & tam effrictæ esse frontis, vt nihil veriti sint eructare in charissimam patriam, eam iniquè *Sodomæ* comparantes: contra Evangelij professores, eos Machiavellianos, homines vaferrimos, tergiversantes, nullius omnino religionis, & diaboli ministros appellantes, sicuti fecit quidam *Edvardus Osbernus* presbyter in sua palinodia. Hic *Osbernus* ex *Rhemensi* seminario prodiens, vbi per aliquot annos delituerat Papisticis superstitionibus immersus, in *Angliam* iureiurando obstrictus, vt seduceret quotquot posset, ex regiæ maiestatis subditis, qui eius nefariis persuasionibus auscultarent, a prefectis suis missus venit. Hic palinodiam

cecinit, erroribus renunciavit, & Ecclesiæ *Anglicanæ* decretis subscripsit: post palinodiā iterum relapsus est, post relapsum multa acerbè, audacter & iniquè, in omnes Evangelij in *Anglia* professores, nominatim in ornatissimum *Foxum*, illum ingentis voluminis, mendaciisq; refertissimi, Martyrologij *Calviniani*, & Evangelii quinti auctorem, hominem vanum & hypocritam, magna linguæ petulantia nominans: & in quendam *Hartum* virum doctum, suavissimisque moribus præditum, eum concionatorem convivalem sive cubicularem contumeliose appellitans. Quam æquè, vel iniq; mecum egit, aliorum sit iudicium, & aliâs vobis (favente Deo) manifestabitur. Pet. 2. ep. c. 1. 2.

De hoc suisq; commilitonibus optimè aliquando dixit *Bernardus*: *Hypocritæ volunt esse humiles sine despectu, pauperes sine defectu, benè vestiti sine solicitudine, delicatæ pacis sine labore, alijs adulantes, alijs detrahentes, mordaces vt canes, dolosi vt vulpes, superbi vt leones, intrinsecùs lupi rapaces, mellis dulcedinem, id est, inanis gloriæ & latentis lasciviæ vt vrsi quærentes. Volunt esse sine auctoritate iudices, sine visu testes: postremò falsi accusatores, & omni virtute carentes.* Chrysosto.

Beatus quoque *Petrus* hos Papisticos impostores iamdiu graphicè depinxit, dicens:

 Fue-

Pet.2.cp. a.1.2.

Fuerunt autem & Pseudo-prophetæ in populo, vt etiam inter vos erunt falsi doctores, qui subintroducent hæreses exitiales: etiam Dominum, qui illos mercatus est abnegantes, accersentes sibi ipsis velox exitium, & multi sequentur eorum exitia, per quos via veritatis blasphemabitur.

Discant hinc omnes ecclesiæ pastores, & verbi ministri, omni in loco, omnique tempore soliciti esse pro grege Domini sibi commisso.

Terreant nos (dilectissimi) a solita nostra negligentia pænarum metus, si præmiorum promissiones ad sedulitatem allicere non valeant: ne faciamus opus Domini negligẽter, ne simulatè, ne frigidè. Absit hominum metus, absit fastidium, absit supina ista securitas, absit hypocrisis. Nam simulata sanctitas duplex est iniquitas. De hypocrisi sic scribit doctus aliquis pater: *Hypocrisis est subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Hypocrisis secura simulat, prospera fallit, curiosa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum.* Non solum nostrum est exemplaria esse gregis doctrinæ puritate, sed vitæ etiam sanctimonia. Vnde elegãter dixit Chrysost. *Nemo potest in valle stare, & de monte loqui: vbi stas inde loquere: & vnde loqueris, ibi sta. Si in terra est animus tuus, vt quid de cælo loqueris? si iustitiam facere non vis*

Chrysosto.

vt

vt quid te praeceptorem iustitiae facis? quare magistrum vocas cuius non vis esse discipulus? Ecclesia, Dei civitas est, ergo vigilate ad custodiã concordiamq;: ecclesia, Dei ovis est, ergo intendite pastui: ecclesia, Dei sponsa est, ergo studete ornatui.

Quam pulchri sunt pedes eorum qui evangelizant bona; fulgebunt illi qui ad iusticiam multos erudiunt, sicut stellae in perpetuas aeternitates. Carnales isti doctores, gulae servientes, otio torpentes, & rerum mundanarum amore flagrantes, haec non observant, non curant, non magni pendunt. Legimus in Exodo *Mosis* famuli Dei faciem adeò nitidam, coruscantẽ, & gratię tam plenam fuisse, cum ex monte *Synai*, ex altissimi consortio & alloquio descenderet ad populum, vt illi eius faciem inspicere non valerẽt, antequam operiebatur velamine. Si tantus splendor fuerit in facie *Mosis* ex monte *Synai* descendentis: quàm splendidi, quantoque nitore pollentes erunt illi ministri, qui non ex monte *Synai* legis tabulas in manibus portantes, sed ex monte *Syon* amplissimas gratię per Christum promissiones offerentes, ad nos descendunt. Hinc quoq; discendum est quo amore, qua ve benevolentia Dei populus ministros suos prosequi debet. *Philipp:* miserunt *Epaphroditum* ad Paulo ministrandum, & prẹparandum quę opus erant; in quo eorũ

magna

magna elucet cura, & sincera charitas. O vtinam eadem diligentia & benignitas esset hodie in populo *Angliæ*: tunc pastores & veri ecclesiæ ministri non tantis convitijs, odiis, invidia & contumelia divexarentur. Permultos enim videmus Mecenatum & defensorum nomina sibi arrogantes, qui ministrum (si quando illi contigerit inopia & extrema fortuna laborare) cum *Iuda* produnt, non cum *Philippensibus* iuvant. Non illi opitulantur, non laboranti manus porrigunt, & tunc vel maxime eius calamitati insultant, quando ex officio necessitati subvenire debeant. Hi non patroni, sed mercatores mali, non defensores sed proditores, non possunt Christum amare, & ministri eius causam non agere: & (ne quid acerbè dicam) omnes tum patronos beneficiorū, tum cæteros christianos admonitos velim, ne in pastores sint maligni, eosq; æquo & humano charitatis officio fraudent.

Misericors Deus ex infinita sua misericordia erga genus humanum, populum suum quem ex primò iactis mundi fundamentis in peculiare sibi sacerdotiū adoptavit, in viis suis, & in semitis vultus sui erudire non desinebat. In veteri testamēto peculiarem quendam & visibilem cultum iis designavit, a cuius observatione vel ad dextram vel ad sinistram flectere non licebat. Nam in cultu divino hominum

minum

minum actiones non sunt liberę, vt in rebus forensibus & politicis.

In novo autem testamento vnicum spiritualem cultum ecclesiæ sponsæ suæ commendavit, cuius regula & norma ex oraculis vtriusque testamenti est petenda: non ex Papa, non ex Romana Ecclesia, non ex Pontificibus, non ex traditionibus, non ex Conciliis generalibus, non denique ex vllis hominibus.

Quid aliud est cultus Papisticus, quam magica quædam coniuratio? quæ peccatorum veniam, & vitę æternæ spem in plumbo & membrana includit, vel commentitiis & frivolis superstitionibus, vel aliis impiis & nefariis nundinationibus alligat.

Christus Iesus cum divinum cultum & adorationem diabolo tribuere recusaret, hoc scripti verbi telo sic eum vulneravit, vt cum ipso nunquam postea bellare ausus fuerit. *Math. 4. 10. Scriptum enim est, Dominum Deum tuum adorabis & ei soli seruies.* Mat. 4.10.

Verbum enim Domini est religionis regula, sinceri cultus norma, veritatis magistra, & vitæ exemplar, sine quo nihil est nisi cæcitas, error, dubitatio, vanitas & superstitio.

Sit vobis (doctissimi iuvenes) hoc verbum, Ariadnæ filum, cuius ductu per omnia

huius

huius vitæ pericula ad æternum salutis portum pervenire possitis; hoc amplexamini, hoc amate, secundùm huius præscriptum vivite, in hoc moriamini.

Nolite timere] Antichristum, nolite illius fraudibus inescari, nolite spiritu erroris falli aut decipi, in hoc consistite fundamento, huic innitamini petræ, in hoc firmi estote. Nolite arundinibus esse similes, nolite omni falsæ doctrinæ vento agitari, estote animis bonis & præsentibus, ne vos terreat mundi morositas, ne vos frangat adversariorum immanitas, ne vos alliciat promissionum suavitas: sed cum persequutionem patiamini, gaudete: cum in vos debacchantur impii, exultate: quia (vt ait Christus) *ita persecuti fuerunt illi Prophetas qui*
Mat.5.12. *fuerunt ante vos*. Sed ne nimis molestus sim, (viri patres & frates vosq; omnes florentissimi Academici) iterum mihi liceat vos hortari vt studia colatis, vt contentiones, odia, inimicitias fugiatis, vt Christo serviatis: sic in illo ante iacta mundi fundamenta electi, ex electione fidem, ex fide sanctitatem prodentes, à sanctitate ad vitam æternam gloriosè transmigrabitis: ne pertimescite fraudes Antichristi, gravitatem peccati, malitiam diaboli: sed in Christo Iesu carnem crucifigite, mundum contemnite, caput serpentis pedibus conterite per Christum Iesum salvatorem nostrum. Sic cum ille in tribunali suo iudicans

cans

cans ſedebit, audietis iucundiſsimam illam vocem *Matth: 25. Tunc dicet rex ijs qui ad dextram illius erunt: venite benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum vobis, à iactis mundi fundamentis.* Mat. 25. 44 Cui Deo in tribus perſonis ſit omnis honos, gloria, & poteſtas, in omnem ęternitatem. *Amen.*

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, et amor Dei patris, & communicatio ſancti ſpiritus ſit vobiſcum nunc & in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.